

Stephan Klotz Georg Gülich

Dissertatio De Quaestione agitata An Et Quomodo Ecclesia Christi Sit Visibilis Et Invisibilis

Rostochi[i]: Pedanus, 1634

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn739730185>

Druck Freier  Zugang



Vert. : J. Gülich

St. Lotz/c
R. U. theol. 1634.



DISSERTATIO
De
Quaestione agitata
AN ET QUOMO-
DO ECCLESIA CHRISTI SIT
VISIBILIS ET INVISIBILIS.

Quae
Auxiliante
Ecclesiae Capite Christo,
PRÆSIDE
STEPHANO CLOTZ, S.S. Theol.
Profess. P., & ad D. Jacob. Eccle-
siaste,

Respondente
GEORGIO Gültch Megapolitano.
*Publicè habebitur in Auditorio Majori,
die 9. Augusti, horis matutinis.*



ROSTOCHI,
Litteris JOACHIMI PEDANI, Acad. Typog.
ANNO M.DC.XXXIV.

1634





בית

THESIS

I.



*Vijs quorum palatum absynchio est infed-
ctum, omnis cibus, potusve absynchium sapit:
Ita Jesuitis, prout acerbo atq; infedo in nos
sunt animo, dogmata nostra non sapiunt quod
verè sunt, sed quod illi secum afferunt: Succum
Ophiuse Ethiopica qui bibunt, serpentes à sese & ejus generis
monstra horribila alia putant videri: Homines isti ut super-
bia, ambitionis, & odij succos sat liberaliter hausere, pro mon-
stris & serpentibus habent, quæ vident & audiunt Lutherano-
rum esse, semet vero ipsos molliter leniterq; habent, & celebrant,
tam in sese ipsos propensi, quam in nos (quos pro hæreticis ha-
bent) alieni sunt atq; insensi. Rem, nisi fallor, planam esse, ex
illâ quam sub manibus habemus questione, An & Quomodo
Ecclesia sit visibilis vel invisibilis, uberius constabit, ubi ut
Adversarios habeant, non tam nobiscum, quam cum propriis
imaginationibus & larvis gnaviter depraliantur.*

II.

*Dictum est à nostris, Ecclesiam esse certo respectu in-
visibilem, continuo deblaterarunt in suis gurgustis Mona-
chi isti, Ecclesiam Mathematicam, Stigmaticam, Utopi-
cam, imaginariam, Ideis Platonice non absimilem à no-
stris fabricari, quæ sit, ut Bailius ait, è Gygis stemmate,
ut sese facere possit invisibilem: Porro cum Bellarm. Becan.
Pistorio, confidenter mentiri sune Lutheranos initio Ec-
clesiam*

A 2

clesiam

clesiam invisibilem fecisse, deinde tamen cum viderent absurda, quæ inde sequebantur, secreto consilio statuisse, ut Ecclesia visibilis diceretur, cæpisse igitur omnes docere, Ecclesiam esse visibilem, sed sic tamen, ut nomine visibilis, re invisibilis esset: duas item Ecclesias à nobis fingi, quarum una sit visibilis, altera invisibilis: &c. Ita sc. sincerum est nisi Vas, quodcumq; infundis, accescit: nisi accescerent odio atq; invidia homines isti, Utopicas ejusmodi & stigmaticas imaginationes, quæ ne per somnium quidem ulli nostrorum inciderunt, nostris non affingerent, neq; nostram sententiam insidiosè perverterent.

III.

Præfiscine ergo dicendum quid res, & an & quomodo Ecclesia visibilis vel invisibilis dicatur, planius paulo exponendum, quod ut fiat præmittam primò aliquot observationes, secundò formabo controversiæ statum, & tertio ponam aliquot conclusiones, quartò subnectam aliquot consuetudines, quibus negotium erit expeditum.

IV.

Obs. 1. Vox Ecclesiæ quandoq; totam Ecclesiam Catholicam, omnesq; tam ad gloriâ quam ad gratiam vocatos, tam in cælo triumphantes, quam in terris militantes comprehendit, quandoq; vero totius partem Ecclesiam sc. vel triumphantem vel militantem, vel etiam hujus aut illius partes & membra sigillatim notat: Unde diversimodè de ejus visibilitate aut invisibilitate ferri potest judicium.

V.

Obs. 2. Ecclesia militans in statu hujus vitæ prout totum vocatorum cæcum complectitur, considerari potest vel nō ad Extra & ratione vocatorum, qui in exteriori visibili cætu ad verbi audicium & sacramentorum usum aggregantur,

zur, proindeq; pro Ecclesia membris exterius & ex lege charita-
rii à nobis habentur: vel ^{et} ^{etiam} ad Intra, ratione electorū,
quos inter vocatos habet Deus, quiq; non cæci solum exteriori
per verbi auditum & sacramentorum usum, sed & corpori my-
stico ejusq; capiti Christo per fidei & pietatis vinculum sunt
uniti.

VI.

Obs. 3. Ecclesia vocatorum sive militans potest con-
siderari, vel ratione materialis ex quo constat, quod sunt
homines visibiles, vel ratione formalis tum extrinseci,
quod est splendor externus & conspicuus, numerosa multitudo,
purum & incorruptum ministerium, legitima pastorum succes-
sio, & quæ sunt alia, quod tamen formale variat pro temporum
vicissitudine, tum intrinseci, quod est fides & incorrupta
pietas:

VII.

Obs. 4. Aliter: Ecclesia visibilis considerari potest,
vel quoad media sive signa exteriora, quibus ex omni ho-
minum genere colligitur, & à quibus quasi signis infallibilibus
dignoscitur: vel quoad dona interiora, quibus quodq; Ec-
clesiæ membrum in esse tali, ut sit Ecclesiæ membrum actu &
formaliter, coram Deo constituitur.

VIII.

Obs. 5. Porro, Ecclesia visibilis considerari potest
vel in statu perfectionis, sive ut loquar commodius, exalta-
tionis, qualis in hac vita esse debet, in quo requiritur, ut pure
verbum Dei in Ecclesia doceatur, & rectè administrantur Sa-
cramenta, vel in statu exinanitionis, non quidem qualis esse
debebat, sed qualis est, in quo verbum Dei docetur quidem, sed
aut non per omnia pure, aut si id fiat, non tamen in loco illustri,
& omnibus conspicuo, verum propter persecutiones & hæreses
invalescentes obscuro & delitescenti: IX.

IX.

Obs. 6. Ulterius: visibile dicitur duobus modis, vel Absoluto, quod per naturam suam & formam exteriorem (interior enim videri nequit) est objectum visus, vel Comparative, quod etsi natura sua videri possit, huic tamen vel illi propter defectum aut facultatis, aut nimiam distantiam, aut inhabilitatem medij, aut non factam applicationem debitam &c. videri non potest, aut non ita evidenter distincte & perfecte videtur in ordine ad alia.

X.

Obs. 7. Deniq; distinguendum est inter Ecclesie perpetuam durationem, & ejus perpetuam claritatem, splendoremve exteriorem: Duratio Ecclesie sane erit ad finem usq; mundi in his terris perpetua, Pl. 47. 7. El. 61. 8. Matt. 16. 18. Matt. 28. ult. Joh. 14. 16. Claritas tamen exterior est separabilis, ita quidem, ut vera Ecclesia esse possit, etsi valde illustri & conspicua non sit quoad externum splendorem, & actus non semper, aut eodem modo aequè distincte & perfecte à nobis videatur. Erit item in Ecclesia perenne ministerium, Eph. 4. 11. verum non semper illustre, visibile, conspicuum, aut illustri loco constitutum propter persecutiones, quae illud impedire solent: Nec semper purum & incorruptum, propter errores & corruptelas, quae Ecclesiam permittente DEO, invadunt, eamq; aliquando involvunt, ut Deus per corruptum ministerium Ecclesiam congreget atq; conservet, uti ex dicendis uberius constabit.

XI.

Hoc posito, Secundò formandus est status, in quo reformando, vel invertendo potius, operosè sudant Jesuita, forte quod irrevocabilis praecipitatio, ut Seneca ait, omne consiliū apud eos abscondat, vel, quodcumq; sibi imperant affectus,

fectus, facile apud eos obtineant: Utrum sic, ipsi viderint?
Non queritur: I. An detur Ecclesia visibilis, Opinatur
quidem id Becan. ubi ait: Disputari inter nos (quos adversa-
rios dicis) & Papicolas, an Ecclesia Christi in his terris sit vi-
sibilis, sed abrepens per veris affectibus, quasi equi essent, fertur
auriga, nec audit currus habenas, dari Ecclesiam visibilem con-
stanter & semper à nostris assertum est, quamvis ideo necesse
non sit, aut semper dari (casi verum sit) aut eo modo dari, quo
Jesuita volunt, qui inter rem & rei modum distinguere non
possunt.

XII.

Neq. II. An duæ sint distinctæ Ecclesiæ, quarum
una sit visibilis, altera invisibilis: Iterum hoc nobis affia-
gunt, quasi nostrum esset, Jesuita, Adversarij ait Becan. per
calumniam, agnoscunt duas Ecclesias, unam visibilem,
alteram invisibilem. Ita & Bell. duas ait à nobis Eccle-
sias fingi, quarum una sit visibilis, altera invisibilis, &c.
Distingui solet quidem, fateor, à nostris Ecclesia in visibilem
& invisibilem, sed non est divisio generis in oppositas species,
neq. totius in diversas partes, sed subjecti in diversa accidentia,
sive plures rationes & respectus: Hac inquam distinctione Ec-
clesia in visibilem & invisibilem, non dua distinctæ Ecclesiæ, nec
dua distinctæ partes Ecclesiæ constituuntur, sed Una eademq.
Ecclesia diversimode propter diversos respectus consideratur:
Prorsus ut hominè ex animo & corpore constanti competit id
visibile & invisibile, illud ratione corporis hoc anima, ut recte
dicere possis: Homo est quâ corpus & formam externam visi-
bilis: Et idem Homo quâ animam & formam essentialem est
invisibilis: Ita etiam in Ecclesia sese res habet: Nam licet
quæ verba Becani sunt, in gratiam nostrum sibi contra dicen-
tis, externis oculis videamus multitudinem eorum ho-
minum,

minum, ex quibus conflata est Ecclesia visibilis, tamen quod in ea multitudine sit vera doctrina Christi & Apostolorum hoc non videmus, sed credimus: Unde visibilis Ecclesia partim cadit sub externos oculos, partim sub internam fidem: Externis oculis videmus homines, qui in Ecclesia sunt, Internam fidem credimus veram Christi doctrinam apud eos tradi & conservari &c. *Item*: Externis oculis non possum videre, an Christiani, qui in Ecclesia sunt habeant internam fidem & charitatem &c. *Bellarmin. quoque*: Melius, inquit, dico in Ecclesia aliquid videri & aliquid credi. Videmus enim eum, ceterum hominum, qui est Ecclesia, sed quod ille ceterus sit ipsa vera Christi Ecclesia non videmus sed credimus: vera enim Ecclesia est, quae profiteatur Christi fidem, quis autem evidenter scit, nostram fidem esse Christi, id quod firmam & certissimam fidem credimus, sed aliud est credere aliud videre &c. *Costerus*, Homines, ait, videmus oculis, qui ad Ecclesiam pertinent, eos autem homines credimus (& ea parte non videmus) esse Ecclesiam sanctam Catholicam & Apostolicam &c. *Hæc ipsissima sententia nostrorum est, quam veritas invictis etiam & quasi aliud agentibus Jesuitis extorsit.*

XIII.

Neq. III. An Ecclesia visibilis in toto terrarum orbe penitus aliquando & totaliter, quoad omnes sui partes verè defecerit. *Iterum injuriam nobis facit Bellarm.* qui perperam nobis affingit, ac si statuamus Ecclesiam visibilem aliquando penitus deficere, ita ut sola maneat in mundo Ecclesia invisibilis. *Donatista* genus hominum agreste & famosissimæ audaciæ, ut August. appellat, Ecclesiam Christi visibilem dicebant toto terrarum orbe defecisse, *præter-*

Præterquam eo Africa angulo, ubi ipsi delituisse, quem erro-
rem nemo nostrum probavit unquam, Photiniani quoque novel-
li contendunt fieri posse præ hominum malitia, ut aliquando,
idque per longissimum tempus, nulla visibilis Ecclesia extiterit,
Ostorod. Wie im gegentheil/ air, der Papisten meinung/welch
e es dafür halten/ daß die Gemeine oder die Kirche Christi als
lewege hat bleiben/ vnd nie auffhören sollen / alzu künne ist / Hæc
et alia serio improbantur. Etsi hoc dicatur, hoc asseratur, Ec-
clesias particulares in pluribus fidei capitibus defecisse, Eccle-
siam item totam visibilem, quoad publicum ministerium (etsi
non totaliter, quoad omnes partes & quoad fidei fundamentum)
ita deficere posse, ut non sit cætus illustris & conspicuus, aut æ-
que perfecte visibilis, qui per omnia puro verbi Dei ministerio
gaudeat: Non tamen eo ipso absolute sit invisibilis, quamvis
deficiat quoad externum splendorem, proindeque comparative
huic vel illi, mundo v. g. & persecutoribus Ecclesie visibilis
non sit, sufficit, quod paucis nota sit & visibilis, paucique illi con-
fessores, si vel maxime mundo non sint cogniti, Deo tamen & si-
bi ipsis sine conspicui: Nunquam ergo totaliter deficit, & quoad
omnes partes Ecclesia visibilis, etsi deficere aliqua do huic &
illi, nobis quoque ipsis videatur.

XIV.

Sed hoc queritur I. Anne Ecclesia certo respectu di-
ci possit Invisibilis, cum ratione fidei, quæ est quasi forma
& anima Ecclesie, per quam constituitur, nec tamen patet oculo
nostris, cum ratione splendoris externi, qui est Ecclesie
accidentalis, proindeque ab eâ potest ita abesse, ut non semper &
necessario aut externo splendore coruscet, aut majestate & cla-
ritate externâ sese semper & perpetuo omnibus conspicuâ reddat?

XV.

Unde porro disquiritur II. An Ecclesia militans in his
B terris

terris sit semper atq; necessario eo modo visibilis, ut
 est, quæ Bell. verba sunt, cætus populi Romani, vel regnū
 Gallia, aut respublica Venetorum? Ita visibilis, ut sit
 semper alligata ad ordinariam, visibilem, & valde conspicuam
 Episcoporum purè docentium successione, ab illisq; dependeat,
 ut quod Episcopi in illa successione visibili constituti definiunt,
 eo quod errare aut temere definire non possint, sit ut fidei dogma
 recipiendum? Ita visibilis, ut tota simul ab uno visibili capite,
 uno certo gubernationis ordine dependeat, ita ut propter clari-
 tatem cuiq; conspicua esse, & ab omnibus facile videri possit?
 Ita visibilis, ut semper fulgeat, quæ Bailij verba sunt, in sua
 successione, gubernatione, Pastoribus, Doctoribus, Sa-
 cramentorum administratione, prædicatione, totaq;
 sua Oeconomia? Ita visibilis, ut simul & semper sit valde
 conspicua, ut Coster, ait, & ubi non est splendor ille valde
 conspicuus & majestas exterior in visibili successione & repub-
 lica Ecclesiastica constituta, ibi non sit Ecclesia? Hoc est,
 quod potissimum non de re: An Ecclesia sit visibilis, sed de rei
 Modo, An ita sit visibilis, ut semper sit valde conspicua, inter
 nos & Pontificios disquiritur.

XVI.

His præmissis Tertio ponendæ sunt aliquot Con-
 clusiones, quibus sententiam nostram *ὡς ἐν τῷ πρῶτῳ*, & breuiter
 expressam dabimus. *Concl. I.* Ecclesia Catholica totali-
 ter sumta, quoad omnes sui partes quatenus omne id,
 quod in coelo terraq; unquam ad Ecclesiam pertinere
 potest, est invisibilis: *Vodit illud Turrianus Sadoeli:* Da-
 mus, inquit, Antoni Ecclesiam, quam definimus *καθολοῦ*
ὄλου esse, ut *καθολοῦ ὄλου* extra mentem non esse, ac proinde
 non esse sic visibilem, sed negavit Bailius Rivero, Falli-
 tur, inquit, differens (*Riverum*) de Ecclesia Catholica,
 tanquam

Tanquam Idea Platonis vocemq; Universalis, Logico-
rum & Metaphysicorum more, de suis generibus & spe-
ciebus loquentium, accipiens &c: Nos aliam ob causam
Ecclesiam Universalem dicimus nimirum ideo, quod
visibiliter per totum mundum extendatur: *Hac ille,
contra Rivetum, constat tamen assertio nostra: I. Quia Eccle-
sia Catholica (non Metaphysicè, ut Bailius nugatur, sed Theo-
logicè sic dicta) non solum debet amplecti, quæ Bellarm.
verba sunt, omnia tempora, sed etiam omnia loca, o-
mnes nationes, omnium hominum genera, sic enim
explicat, quid sit Catholicum esse, Vincentius Lyri-
nensis &c. Nec requiritur ad rationem Ecclesie Catholicae,
ut per totum orbem diffundatur simul, ita ut uno tempore,
in omnibus provincijs, necessario esse oporteat aliquos
fideles, satis enim est, si fiat successive, ex quo id sequi-
tur, quod si una sola provincia retineret veram fidem,
adhuc vere & proprie diceretur Catholica, dummodo
clare ostenderetur, eam esse unam & eandem cum illa,
quæ fuit aliquo tempore vel diversis in toto Mundo:
Costerus item: Non ex eo, ait, dicitur Catholica, quod
eodem tempore totius orbis ditiones occupet, hoc
quippe ne in hunc usq; diem fortassis contigit, &c. sed
quod juxta veterum prophetarum vaticinia aliquan-
do per singula orbis loca seminandum sit Evangelium,
plantanda fides, & extendenda Ecclesia: *Est ergo Ec-
clesia Catholica, quæ talis, invisibilis: Illud enim, quod omnia
successive tempora, omnia loca, omnes nationes, omnium homi-
num genera includit, id quod fuit & futurum est, opinor, etsi
Argi sine alijs & navroçay Jesuitæ, non tamen viderint: II.
Dati Ecclesiam Catholicam, sive mysticum Christi corpus, quod
est varijs partibus, est personis constet, & quidem omni tempo-**

re, & omnibus in locis successive, est *Articulus fidei*: *Credimus enim, ut Symbolum nostrum habet Ecclesiam Catholicam, E. Ecclesia Catholica, qua talis, est invisibilis*: *Consequencia est firma, Quia fides, est εἰς τὸ ἄβλεπτόν* Ebr. II. I. *ideo nisi, & eidem opponuntur, 2. Cor. 5. 6. Unde, Quod fide credimus, non est visibile, ex ea parte, qua sub fidem, cadit, ut ait identidem Becanus. Hoc est fides, credere, quod non vides, ut ait August. quod ille cætus sit vera Christi Ecclesia non videmus, sed credimus, ait Bellarm. Nam ut Perer. ex Cajet. notavit, duo sunt in objecto fidei consideranda, quorum alterum materiale est, alterum formale, Materiale objectum fidei videri potest, sed formale objectum est invisibile.*

XVII.

Concl. II. Ecclesia militans in his terris, quoad extra sive quoad materiam & formam exteriorem, ratione vocatorum & mediolorum externorum, prædicationis, verbi & administrationis Sacramentorum, considerata, est absolute visibilis, sive quoad idem est, omnes Ecclesie particulares totius mundi sunt visibiles, possuntq; in sua materia & forma exteriori videri: Et hoc largimur adversariis, unde non opus erat Mathematicam, Stigmaticam, Utopicam, Idealem Ecclesiam, qua sit è Gygi stemmate nostris asfingere, quam in Utopiam merito proscribimus, vel potius Mathematicis & Utopicis istis mendacibus remittimus: Patet vero, quia Ecclesia militans est societas hominum (non Angelorum & animarum,) non autem potest dici societas, nisi in externis & visibilibus signis consistat, Nam non est societas nisi se agnoscant, qui dicuntur socij, non autem se possunt homines agnoscere, nisi societatis vincula sint externa & visibilia, ut ait Bellarm. Ita & Ecclesia.

ecclesia visibilis, hominum societate absolute visibili, ut qui praedicatione verbi & administratione Sacramentorum, ut visibilibus signis, in unam societatem colliguntur, constituitur, quamvis non semper aequaliter & eodem modo, prout Ecclesia est in statu, vel exaltationis vel exinanitionis, uti mox ostendamus.

XVII.

Concl. III. Ecclesia militans in his terris, quoad Intra, sive formam Intrinsecam & essentialem, ratione donorum interiorum fidei, pietatis, electionis considerata, est absolute invisibilis, neque oculis corporeis in hac vita cognosci potest. Hanc assertionem negare non possunt Jesuitae. Nam I. Ecclesia est corpus Christi mysticum, Rom. 12. 5. 1. Cor. 10. 17. c. 12. 27. Eph. 1. 23. Col. 1. 18. quod per commissuras & compages suppeditarum & compactum, augetur augmento Dei, Col. 2. 19. cuius membrum non est, nisi, qui habet Spiritum Christi, illoque ducitur, Rom. 8. 14. Est corpus cuius membra non sunt nisi filij Dei, qui ex Deo nati sunt, Joh. 1. 12. ac proinde heredes Dei &c. Rom. 8. 17. Sunt quidem in hoc corpore, multa membra mortua & arida, ut faceret Bel-larm. qui tamen ideo non sunt, nisi equivoce membra, & humores potius pravi, & superflua excrementa in corpore, quam ulla illius vera membra sive partes. Est item Ecclesia ovile, cuius oves sunt Christi, qui audiunt vocem eius, & quos non rapier quisquam de manu eius, Joh. 10. 27. 28. non vero sunt hirci fetidi, quos non noscet Dominus, Matt. 25. 32. Est regnum cuius subditi habent gloriam ad intus, Pl. 43. 14. Est Sponsa, quae est tota pulchra, Cant. 4. 7. Est Civitas sancta, in qua non est incircumcisus & immundus, Eli. 52. 1. B. zech. 44. 9. Est sancta Jerusalem, per quam non transibit alienus, Joel. 3. 17. contra quam non praevalerunt inferorum portae, Matt. 16. 18. Est domus Dei vivi, 1. Tim. 3. 15. cuius

Lapides vivi sunt superedificati &c. 1. Pet. 2. 5. Ad exterrum
quidem Ecclesia carum pertinent non Sancti, ad internam vero
societatem minime: Est ergo, quod inde concludo, Ecclesia po-
tiori sui parte invisibilis: Quia quis verè sit Ecclesia mem-
brum, quis verè habeat Christi spiritum, quis verè sit ex Deo
natus &c: oculis nostris non est conspicuum. II. Chrysof.
Ecclesia est domus Dei ex animabus constructa, Lactantio
templum Dei, quod non in parietibus est, sed in corde & fide
hominum, Petro domus spiritalis, 1. Pet. 2. 5. At num hæc
domus, hoc templum est visibile? III. Ecclesia est Corpus, cu-
jus membra sunt verè fideles: Fides enim est quasi anima &
spiritus Ecclesie membrorum, Est ergo potiori sua parte invi-
sibilis, Quia non videri potest, ait Bellarm. sed credi,
quod ille cætus hominum, qui profitetur fidem Christi,
sit vera Ecclesia, quia scilicet evidenter sciri, id est vi-
deri nequit, an illa fides sit Christi: Quis certo novit, in
quibus sit ista fides interna? Et alibi: Ecclesia Christi
visibilis, ait, habet multa invisibilia, fidem, spem, chari-
tatem &c. IV. Ecclesia est corpus, cujus membra solus Deus
novit, 2. Tim. 2. 19. qui Cor solus incuetur, 1. Sam. 16. 7. 1.
Reg. 8. 39. Jer. 17. 9. 10. & cognoscit oves suas, Joh. 10. 14.
Est ergo Ecclesia κατὰ πνεῦμα & ἄνευ invisibilis. V. Ecclesia
est corpus Christi, cujus præcipuus cultus est Internus, ut
ait Bell. qui sit in spiritu & veritate, Joh. 4. 23. in occulto
cordis, Rom. 2. 28. ad Intus, Pl. 45. 14. cujus ornatus est oc-
cultus homo cordis, 1. Pet. 3. 4. quæq; offert Deo spirituales ho-
stias, 1. Pet. 2. 5. audit Dei verbum & custodit in corde, Luc.
8. 15. ædificat in petra, Matt. 7. 24. cujus cordi Deus legem
suam inscripsit, Jerem. 31. 33. Est ergo Ecclesia quoad po-
tioris sui partem invisibilis: Quia cultum istum internum
semo nisi Deus videt: Quis hominum scit, quæ sint hominis, nisi
spiritus

Spiritus hominis, qui est in ipso, 1. Cor. 2. II. Quis hominum
novit, qui sint veri adoratores, qui in spiritu & veritate ado-
rent, Joh. 4. 23. Non viderint Papiolæ, etsi Argo sine
perspicaciores.

XIX.

Concl. IV. Ecclesia militans, quoad formam sive
claritatem extrinsecam considerata, fit quandoq; Invi-
sibilis respectu huius vel illi, sive, ut loquar explicatius, oc-
cultari & obscurari potest, vel ab oculis mundi aut persecu-
torum, aut fidelium quorundam, ita, ut non supersit illi illustris a-
liquis & valde conspicuus cæcus, in quo purè per omnia & pub-
licè verbum Dei prædicetur, qui nobis notus sit, aut quem nos
oculis videre, aut ad oculum demonstrare possimus: Ecclesia
quidem, manet in se, & absolute visibilis, sic tamen quandoq;
propter hæreses aut persecuciones, quoad externum splendo-
rem, legitimam pastorum in sede conspicua successionem, co-
piosam multitudinem, purum & incorruptum ministerium, in-
visibilis vel occultata potius, ut, quod Rhemenses fatentur,
Ecclesia aliquando non habeat publicum splendorem,
publicum statum & regimen, nec libera sanctorum mu-
nerum exercitia, sive ut largitur Gregor. de Valens. Ut Ec-
clesia errorum, schismatum & persecutionum fluctibus,
ita sæpè agitetur, ut ab imperitioribus vix dignosci
queat, & ut ex Hilar. & Hier. addit, non semper in tectis
& exteriori pompa quaerenda sit, sed quandoq; in car-
ceribus & speluncis. Non semper est in statu exaltationis,
ubi tranquillè & purè sacrorum administratione fruitur, sed
redigitur quandoq; in statum Exinanitionis, ubi hæreticorum &
tyrannorum vi & fraude premitur: Obumbrari potest Ec-
clesia, ut loquitur Ambr. etsi deficere non possit: Est lu-
næ similis, quæ, cum mensuris cursum se terræ oppo-
suerit,

fluere, cum fuerit e regione Solis vanescit; Sic & Sancta Ecclesia, cum lumini coelesti vitia carnis obsistunt, fulgorem divini luminis de Christi radijs, non potest mutuari: Obscura videtur in tempore peregrinationis suae inter multas iniquitates gemens, *Semper sibi colligit Ecclesiam Deus, at non semper in populosis urbibus & regionibus, per purum ministerium, sed quandoq; in desertis, & si non in publicis cathedris, tamen in abditis terrae cavernis, Semper quoq; fuit, esse, & erit Ecclesia visibilis, licet eadem, uno eodemq; modo, aequè distincte, & perfecte à nobis conspici, aut digito monstrari non possit: Hæc est assertio nostra, quam quia in sensu exagitant Jesuitæ, demonstratumimus aliquot fundamentis.*

XX.

1. Ex S. S. dictis, quæ testantur, Ecclesiam, sive filiam Sion, quandoq; esse instar tugurij, qualia sunt in vineis, & instar tugurioli, in quo pernoctant in cucumerarijs hortis, & quasi urbem vastatam, Et. 1. 8. instar ilicis aut quercus, quæ folia projiciat & ramos, truncus tamen maneat, Et. 6. 13. esse populum pauperem & egenum, Zephan. 3. 12. pusillum gregem, Luc. 12. 32. *E. Ecclesia non semper, & necessario, esse valde conspicua, & quoad numerosam multitudinem, & ordinariam purè docentium successionem, toto orbe visibilis: Pusillum, pauperem, egenum esse, truncum esse sine folijs &c. & populosum, numerosum, illustrem & conspicuum esse, non bene conveniunt:*

XXI.

2. Ex vaticinijs, quæ testantur N. T. Ecclesiam in visibilibus membris adeo enormiter defecturam, ut futurum sit tempus, in quo Pseudoprophetae surgent, & seducant multos, Matth. 24. 11. & filius hominis ubi venerit, non inveniet fidem in terrâ, Luc. 18. 7. eruntq; magistri mendac

mendaces, qui introducent sectas perditionis, & multi sequentur illorum luxurias, vel ut alij Codd. legunt, exitialia illorum dogmata, 2. Pet. 2. 1. 2. Quae si vera sunt, verum esse nequit, quod Pontificij volunt, Ecclesiam N. T. perpetuo esse valde conspicuam, & populosam magnificamq; successione illustrem: Multos in Ecclesia seductores & seductos esse, ita, ut vix residua sit fides in terris, & si fieri possit, seducantur quoq; electi, & tamen multos in populofo & valde conspicuo Ecclesia caeco credentes esse, si bene convenire dixerit quispiam, ne illud oportet esse *μεσσην πικρα* 190245.

XXII.

3. Ex ijs Vaticanijis speciatim, quae Ecclesiam visibilem, quoad externum splendorem, asserunt esse defecturam, tempore Antichristi: qui sedebit quidem in templo Dei, 2. Theff. 2. 4. & Ecclesiam invadet, eo tamen regnante mulier, h. e. Ecclesia, in solitudinem fugiet, ubi habebit locum à DEO paratum, Ap. 12. 6. & illo momento temporis, ait Stapler. in deserto, id est, in locis abditis, in speluncis, in latibulis, quo Sancti se recipient, non incommode quaeretur Ecclesia: proindeq; publice nota & illustris non erit: admirabitur tota terra bestiam, & adorabunt eam omnes, qui inhabitant terram, quorum nomina non sunt scripta in libro vitae, Ap. 13. 8. seducet habitantes in terra, v. 14. meretrix magna sedebit super aquas multas, cum qua fornicabuntur reges terrae, Ap. 17. 1. 2. corrumperet terram in prostitutione sua, Ap. 19. 2. Adventus eius erit in omnis generis seductione iniquitatis &c 2. Theff. 2. 10. seqq. veniet ibi η *παρωσια*, 2. Theff. 2. 3. quam non desunt quidem, qui interpretentur de defectione ab Imperio Romano, cum Ambr. Hieron. Tertull. verum plurimi sunt, qui de defectione generali à fide, idq; melius, quia Paulus ita solet

C

uti

atq; eo vocabulo, ut defectionem noceat, non quamvis, sed à fide
1. Tim 4. 1. Ebr 3. 12. &c. Antichristus ergo Apostata erit &
refuga, ut August. nominat, sive ut Chrysoft. ἡ ἀποστασία,
quia multos perditurus erit, & ad defectionem inductu-
rus, adeo, ut scandaliscentur, si fieri posset, etiam electi,
sive ut Oecum: Apostasia dicitur, utpote qui multos à
Christo abducturus esset, & propositurus doctrinam alienam
à doctrina Christi, non quidem, ut Echnici & Turci, sed ut is
qui prius Christiani possent ab ea fide desciscunt, & docent constan-
tiam, qua demum est vis ἀποστασίας: Neg. hæc Apostasia,
ut Calvinus non male scribit, erit unius hominis vel pau-
corum, sed quæ longe lateq; in majore hominum mul-
titudine grassetur, nam cum Apostasia sine adjectione
nominatur, non potest restringi ad paucos: Cum ergo
non alij possunt intelligi Apostatæ, quam qui prius no-
men Christo & Evangelio dederunt, prædicit Paulus
generalem quandam visibilis Ecclesiæ defectionem.
Ipsæ quoq; Bellarm. AntiChristi tempore, ait, propter a-
trocitatem persecutionis, cessare debet publicum &
quotidianum Ecclesiæ officium & sacrificium, ut aperte
docet Dan. 12. Omnium consensu interdicturus est An-
tichristus omnem divinum cultum. Erit ibi, ut Rhemen-
ses ajunt, defectio integrorum regnorum, populorum ac
provinciarum, ac publica, eo tempore, fidelium consue-
tudo cum Ecclesia Romana cessabit. Certum est, ait i-
terum Bellarm. AntiChristi persecutionem fore gravis-
simam & notissimam, ita ut cessent omnes publicæ reli-
gionis ceremoniæ & sacrificia, AntiChristus interd-
cturus est omnem divinum cultum, qui in Ecclesijs
Christianorum nunc exercetur: Quid ergo, si Ecclesia vi-
sibilis, quoad publicas ceremonias, publicum fidelium cum Ec-
clesiæ

eclesia commercium, publicum officium sive ministerium non cessabit solum, sed & generali quadam $\delta\tau\alpha\sigma\epsilon\iota\alpha$, quoad numerosam multitudinem deficiet, & Antichristo adhaerebit, veris interea membris in solitudine latitantibus, Jesuita mordicus contendunt, Ecclesiam esse perpetuo valde conspicuam & illustrem? Cur falso nos irrident, qui, Antichristi tempore, Ecclesiam occultatam, & in deserto latitantem, cum Sp. S. asserimus?

XXIII.

4. Ex Christi asserto, Luc. 17. 20. Regnum Dei non venit *μετὰ $\delta\gamma\lambda\eta\sigma\eta\sigma\omega\varsigma$* , h. e. ita, ut observari possit: Hic, quae Costeri verba sunt, irrisoriae Pharisaeorum quaestioni, qua toties à Christo & Apostolis praedicatum regnum Dei, tanquam jam jam affuturum, videre desiderabant, respondet: non ad ipsorum mentem se in hoc mundo regnaturum, cujus regnum non esset de hoc mundo, ut instar principum externos triumphos ageret, palam inauguraretur, & certo loco sedem regni collocaret, sed eo modo se regnaturum, quo jam tum incipiebat, nempe in cordibus hominum: Ergo regnum Dei sive Ecclesia, non est cæcus ita visibilis ac palpabilis, ut est cæcus populi Romani, vel regnum Galliae, aut Resp. Venerorum: Hac enim regna veniunt cum observatione, ita ut externo splendore gloriantur, eorumque initia & incrementa demonstrari, certo loco sedes regni collocata videri possit: Ita autem, & cum ea observatione, non venit regnum Christi, quod quidem eadem cum Pharisæis opinione, sibi de eo imaginantur Jesuita.

XXIV.

5. Ex Prophetiis, tam vaticinijs quam querelis, quae de Ecclesia V. T. restantur, quod persæpe quoad externum splendorem defecerit: Vaticinia sunt 2. Par. 15. 3. Transibunt multi dies in Israël absque Deo vero, & absque Sa-

cerdote, absq; Doctore, & absq; lege, non extabit pub-
 lica verus Dei cultus, vera Dei agnitio, non erit legimus
 sacerdos & interpres scripturarum, qui populum de vera fide
 doceat, lex item Dei contemta habebitur: Ezech. 7. 25. In-
 felicitas super infelicitatem veniet, & auditus super au-
 ditum, & quærent visionem de Propheta, & lex peri-
 bit à Sacerdote, & consilium à Senioribus: Oz. 3. 4. dies
 multos sedebunt filij Israël, sine Rege, & sine principe,
 & sine sacrificio, sine statua, sine Ephod & sine Tera-
 phim: Quæ sane est miserrima conditionis in utroq; tum Po-
 litico, tum Ecclesiastico statu, descriptio: Ibi nec rex, nec prin-
 ceptus erit, qui Remp. gubernet, hic nec sacrificium nec Ephod
 erit, verus proinde veri Dei cultus cessabit, imò vero nec statuæ
 erunt, neq; Teraphim, ut falsis quoq; diis colendis operosus esse
 non liceat: Hæc vaticinia nisi falsa sunt, profecto falsum erit
 assertum Jesuiticum de perpetua Ecclesiæ claritate & maje-
 state externa: Querelæ passim leguntur, Conf. Es. 1. 3. 4.
 5. 6. 9. 21. 22. Jer. 2. 26. 27. 29. Es. 2. 8. c. 5. 4. Jer. 2. 8. 11. 13. 28.
 c. 3. 6. 8. 11. c. 5. 4. c. 6. 13. c. 7. 28. Ezech. 22. 26. 28. Os. 4. 1. 6.
 9. 12. Mich. 7. 2. Jer. 5. 30. c. 8. 9. c. 5. 6. Quæ sane verificari
 non poterunt, nisi maxima parti Ecclesiæ error tribuatur, pro-
 indeq; quod externum splendorem attinet, dicatur, Ecclesiam
 magna sui parte defecisse:

XXV.

6. Ex multorum temporum exemplis, quæ ordine per-
 censebō: I. Quis splendor fuit externus, quæ gloria & majestas
 exterior Ecclesiæ, tempore Sethi, sub nativitate Enos, ubi ca-
 pitum est invocari nomen Domini, Gen. 4. 26. ubi capis vera
 religio, quæ miris modis pressa erat & occultata, restaurari, &
 in publicis congressibus doceri, capis restitui verus Dei cultus,
 qui propter impietatis diluvium fere interierat, Invocandi e-
 nim

sim verbum generaliter complectitur totum Dei cultum: In-
tellige, ait *Mercerus*, deformatam fuisse domini Eccle-
siam, per Caini sobolem, ubi nullus erat, aut internus,
aut externus Dei cultus, nisi forsan ore tenus, ita ut Ec-
clesiæ facies in Cainica sobole nulla esset, aut Dei invo-
catio, nunc, cum ipsi Seth filius Enos esset natus, & au-
cta proles, reformatam coisset Ecclesiam cum primis
parentibus, tunc cepisset etiam externe Deum coli, &
publice in ea familia, quæ formam haberet Ecclesiæ
Dei, invocari: XXVI.

2. *Quis splendor illius Ecclesiæ, quæ ad octo usq; animas re-
ducta, per annū, in arca, veluti carcere, detrusa deliquit, & inter
illos octo maximum nihilominus irrisorē habuit, Gen. 6. & 8. c.*

XXVII.

3. *Quis eo tempore Ecclesiæ splendor erat, ubi Abraham vo-
catus est ex Ur Chaldaeorum, Gen. 11. 31. qui ipse, ante voca-
tionem, idololatriæ cultibus fuit addictus, & ab Idololatrio-
rius. Jos. 24. 2. Ubi tunc fuit publicum purum & valde
conspicuum Ecclesiæ ministerium? Aliquando, ait *August.* in
solo Abel Ecclesiæ erat, & expugnatus est à fratre malo
& perditio Cain; aliquando in solo Enoch Ecclesiæ erat,
& transatus est ab iniquis, aliquando in sola domo
Noah Ecclesiæ erat, & sola arca natavit in fluctibus; ali-
quando in solo Abraham: *Ubi tunc insignis ille Ecclesiæ
splendor? numerosa multitudo? publicum ministerium? Una
Tharæ domus erat, ait iterum August. de qua natus est
Abraham, in qua unius veri Dei cultus, & quantum cre-
dibile est, in qua jam sola etiam Hebræa lingua reman-
ferat, quamvis & ipse, sicut jam manifestior Dei popu-
lus in Ægypto, ita in Mesopotamia, servijisset dijs alle-
nis Jesu Nave narrante, refertur &c.**

C 2

XXVIII.

XXVIII.

4. *Quæ erât fors & majestas exterior Ecclesiæ tempore Jacobi, ubi postquam Esau & Ismael secessionem fecerant, ne in ipsa quidem Jacobi familiâ fuit incorruptus Dei cultus, nec qui ex Mesopotamia Jacobum erant secuti, Idololatriæ confestim renunciarunt, Gen. 31. 19. c. 35. 2.!*

XXIX.

5. *Nec melior erat conditio Ecclesiæ in Ægypto, ubi non tantum tyrannide pressa, sed & idololatricis cultibus magnopere esse obscurata. Ezech. 20. 7. quod vitulus ille aureus, Ex. 32. ad Exemplum Apis bovis Ægyptiaci fronte alba, in cute vero maculas parvas habentis & cætera nigri, ab Israelitico populo religiose cultus, insuper restatur: Ibi enim publicum divinæ cultus exercitium, quoad potiorem partem, tam fuit graviter idololatriâ infectum, ut non fuerit valde conspicuus & illustris cæteris, qui illam abhorrere visus sit, unde indefinite dicitur, quod populus sibi postularit Deos, v. 1. quod populus in aures obtulerit, v. 2. quod Deus iratus fuerit populo, eumque totum delere valuerit, v. 10. quod populus sederit ad manducandum & bibendum, & surrexerit ad ludendû, I. Cor. 10. quod ipse quoque Aaron, qui erat visibilis Ecclesiæ caput, idololatricum istum cultum instituerit, atque promoverit, v. 4. quod item populus fuerit nudatus, v. 25. b. e. sine Deo, aut Dei verbo, aut vero Dei cultu, & obedientia. Quamvis non sit dubium, Deum in medio isto Idololatrarum cætu, sibi Ecclesiæ conservasse, & fuisse in ista multitudine, quibus cultus iste displiceret, Unde I. Cor. 10. 7. dicuntur tunc fuisse, qui Idololatriam commiserint: De Hur quoque tradunt Hebræi, illum postulationi turbæ animosius resistentem à seditiosis occisum esse.*

XXX.

6. *In deserto quoque oberrans Ecclesiæ graviter pressa non solum*

lum, sed & turpiter deformata fuit idolorum cultibus, cuius rei exemplum insigne extat, Num. 25. & I. Cor. 10. 8.

XXXI.

7. In terra promissa, post mortem Josue. purum ministerium defecit, & fecerunt filij Israel malū in conspectu Domini, & servierunt Baalim, Jud. 2. 10. seqq. ut & temporibus Judicium, fornicati sunt cum Dijs alienis, Jud. 2. 17. seqq. c. 3. 5. 6. 7. c. 8. 27. c. 10. 6. precipue cum Baal, cui temporum successus extruxerunt excelsa, Nū. 22. 41. fecere statuas, 2. Reg. 3. 2. domos, 2. Reg. 10. 21. altaria, Jud. 6. 25. lucos, templa, vasa, consecrarunt, 2. Reg. 23. 4. constituerunt festa, 2. Reg. 10. 20. feros, sacerdotes, Prophetas, 1. Reg. 18. 19. quem coluerunt in tectis, Jer. 22. 29. genu flexione, 1. Reg. 19. 18. osculatione ib. suffitu & incensu, 2. Reg. 2. 5. sacrificijs, 2. Reg. 10. 19. auro, argento, Os. 2. 8. Cum criminis vero in diebus illis non erat Rex in Israēl, quisque quod rectum erat in oculis suis, faciebat, Jud. 17. 6. Quis, quā veritate, quo colore, hic dicet, in Israēl fuisse, eo tempore, Ecclesiam externo splendore, & publico verbi DEI incorrupti ministerio valde conspicuam?

XXXII.

8. Nec minus temporibus Eli Sacerdotis sermo Domini pretiosus erat & rarus, non erat visio manifesta, 1. Sam. 3. 1. filij vero Heli erant filij Belial, ac detrahebant homines à sacrificio Domini, 1. Sam. 2. 12. 17. In diebus vero Saulis, arca Dei non fuit requisita, 3. Par. 13. 3. Et sic misera fuit Ecclesia facies propter corruptum verbi divini ministerium publicum.

XXXIII.

9. Tempore defectionis decem tribuum Idololatriens cultus (cujus semina à Salomone jam tum erant sparsa) sub Jeroboamo in-

mo incepit, qui peccare fecit Israël, 1. Reg. 14. 16. & veri-
tus, ne populus, occasione templi Hierosolimis visitandi, ab eo
deficeret, extruxit duos vitulos aureos, eorumq; unum in Dan,
alterum in Berhel collocavit in peccatum toti populo I-
sraël, 1. Reg. 12. 28. Et publicum illud idololatriæ exerci-
tium mansit in regno illo, donec tandem tædere cæpit Domi-
nus in Israël, 2. Reg. 10. 32. totumq; regnum Israeliticum
à Salmanassare Assyrio, eversa prius metropoli Samaria, suf-
fectisq; in regiones Israelitarum hominibus cujuscunq; fecis a-
lius & superstitiosis, in perpetuam captivitatem est abductum
2. Reg. 17.

XXXIV.

10. Tempore cum primis Elia, ita defecit Ecclesia, quoad
publicum & incorruptum verbi ministerium, ut putaverit sese
solum superesse, qui Deo seruiat, 1. Reg. 19. 14. & tamen re-
sponsum audit à Domino, Reliqui mihi septem millia ho-
minum in Israël, qui non flexerunt genua sua ante Baal;
qui sane non constituebant cæcum illustrem & valde conspicu-
um, quia ne Elias quidem illos novit, eo quod in solitudinibus
errarent, & montibus & speluncis & cavernis terre, Ebr. II.
38. Conf. 1. Reg. 18. 4. Nec vero de statu Israelis, h. e. illius
Ecclesie solum conqueritur Elias, quæ erat sub Achabis & Je-
zabelis imperio, & regi Samaria subjecta, sed illius quoq; quæ
erat sub imperio Regum Judæ, Nam 1. Elias primo in Ju-
deam, post è Judæa in desertum aufugit, quod si ibi ministeri-
um fuisset per omnia purum, non fecisset, sed ibi potius substi-
tisset, 2. Alcaria Domini queritur esse eversa, quod nisi de al-
taribus Hierosolimitanis intellexisset, non fecisset, quippe qui
de Idololatricorum altarium eversione non fuisset, magnopere
solicitus. 3. Apost. Rom. II. 3. demonstraturus Ecclesiam
Judæicam defecisse quidem, reliquias tamen quasdam servari,
Elia

Elia isto effato & exemplo utitur, quod nisi Judæorum Eccle-
sia quog defecisset, ἀσκήτως fieret ab Apostolo: 4. Tempore
Asæ & Josaphat, ubi hæc corrigisse dicit Bellarm. dicitur
quod non fuerint ablata excelsa, 1. Reg. 15. 14. 1. Reg. 22.
4. 4. temporibus verò Osæ, qui Achabo successit, regnum Juda
ambulavit in erroribus Israel, 2. Reg. 17. 19. sicut & For-
ami, qui Josaphato successit, 2. Chron. 21. 6. cui allata sunt
litteræ, quibus accusatur, quod fornicari fecerit Judam, v. 13.

XXXV.

II. Etsi enim in regno Juda fuerint quidam Reges boni
& pij, pauci tamen illi fuere, neq̃ excelsa demoliti sunt, A
tempore enim Rehabeam usq̃ ad tempora Hiskia, & sic per an-
nos quasi 240. non fuit in Juda incorruptus veri Dei cultus,
quia semper excelsa mansere & pleriq̃ Reges fuere impij, qui
fornicari fecerunt populum: Hiskia quidem destruxit Idola
& verum Dei cultum restituit, verum illo defuncto revocata
est Idolomania, & corruptum fuit verbi ministerium usq̃ ad
Josiam: Rehabeam fuit impius, & sub eo defecit populus, 1.
Reg. 14. 22. seqq. ejus successor Abiam, 1. Reg. 15. 1. 2.
Par. II. 22. ambulavit in omnibus peccatis patris sui, 1. Reg.
15. 3. ejus successor Asa, 1. Reg. 15. 8. pius quidem, v. 11. non
tamen removit excelsa, v. 14. ejus successor Josaphat, v. 24.
pius quidem, non tamen excelsa sustulit, c. 22. 43. ejus succes-
sor Foram, 2. Reg. 8. 16. 2. Par. 21. 1. ambulavit in via re-
gum Israel, 2. Reg. 8. 18. 2. Chron. 21. 6. 10. II. 13. ejus suc-
cessor Ochazias ambulavit in vijs domus Achab, 2. Par. 22. 3.
illi succedens Athalia, 2. Par. 22. 12. fuit impia & idolis de-
dita, 2. Chron. 24. 7. ejus successor Joas, pius quidem, 2. Par.
24. 2. eo tamen mortuo declinavit Juda, v. 17. ejus successor
Amasias, 2. Par. 25. 1. fuit hypocrita, 2. Par. 25. 2. neq̃ su-
stulit excelsa, 2. Reg. 14. 4. ejus successor Asarias, 2. Reg.

D

15. 2.

15. 2. excelsa non sustulit, v. 4. ejus successor Joabab, v. 33.
 excelsa non removit, v. 35. ejus successor Ahas, 2. Reg. 16. 2.
 fuit idololatra, v. 2. 3. 4. ejus successor Hiskia, 2. Reg. 18. 2.
 pius fuit, & contrivit stacuas &c. v. 4. ejus successor Ma-
 nasse restauravit excelsa, qua pater everte, 2. Reg. 20. ult.
 c. 21. 1. seqq. ejus successor Ammon, 2. Reg. 21. 19. fuit ido-
 lolatra, v. 20. ejus successor Josias pius fuit, & templum re-
 stauravit, 2. Reg. 21. ult. c. 21. 1. seqq. c. 23. 1. seqq. ejus
 successor Joahas fuit malus & idololatra, c. 23. 31. 32. & qui
 illi successit Jojakim, v. 34. qui item malum fecit coram Do-
 mino, v. ult. Hinc factum, ut regnum Juda post fuerit
 in captivitate Babylonicam deportatum, ubi per 70. annos mi-
 serimus fuit Ecclesia Judaica status: Ecclesia proinde Vets.
 Test. ubi, ut Beccan. concedit, infiniti prope homines ad-
 hærebant falsis Prophetis, queq. non minus de sui conserva-
 tione promissiones habuit, ac nostra in N. T. Ex 19. 5. 6. Gen.
 17. 7. Lev. 26. 11. 12. Pl. 115. 15. Pl. 132. 13. seqq. quoad sa-
 cerdotium tamen & ministerium publicum gravissimè erra-
 vit, à veritate divinitus revelata subinde defecit, ita, ut non
 fuerit conspicuus aliqui cætus, in quo incorruptum Dei ver-
 bum publice viguerit. Nec fuit pro illo tempore, alia Eccle-
 sia visibilis in his terris, quam è Judæis & Israhelitis collecta,
 ad quam omnes, quoque gentibus convertebantur per affe-
 ctum & desiderium, etsi non semper quoad locum & externam
 societatem, conjungebantur, & in hac sola publicum cultus di-
 vini exercitium, sacerdotium, templum, altaria, sacrificia
 Deo placentia vigebant, proindeq. mira non videri debebat,
 Bellarm. consequentia nostra: Ecclesia universalis visibilis
 Israhelica, quoad publicum ministerium aliquando defecisse,
 visa est: Tota igitur Ecclesia visibilis in his terris visa est de-
 fecisse, quia extra illam Israheliticam non erat tunc temporis
 Ecclesia visibilis.

XXXVI.

XXXVI.

12. *Tempore Antiochi Epiphanis itidem miserrima fuit Ecclesia conditio, ubi facta per Antiochum in Judeam expeditione, urbs direpta, templum spoliatum, cives crucidati, multi Israelitarum Idololatrae facti, 1. Mac. 1. 43. 45. 55. purum ministerium & sacrificium publicum prohibitum, v. 46. seqq. ara idolis extructa, v. 50. 57. seqq. liber legis combustus, v. 60. pij misere crucidati, v. 61. seqq. Ubi vero hic fuit Ecclesia splendor? Ubi illa valde conspicua Ecclesia, quam voluit Pontificij? Nominent hic Ecclesiam terrarum orbe conspiciuam & visibilem eo tempore fuisse, & Phyllida soli habebunt Jesuitae.*

XXXVII.

13. *Tempore Christi Incarnati, ubi fuit Ecclesia, quoad purum ministerium, publice illustris & conspicua? Quâ Europae parte, qua regione, urbe, pago erat qui publice predicaret incorruptum Dei Verbum? Tres sectae cum rerum potiebantur, Pharisaeorum, Saduceorum, & Essaeorum, doctrinae eorum erat fermentum, à quo cavendum erat, Matth. 16. 16. Mar. 8. 15. Luc. 12. 1. ipsi vero erant fures & latrones, Joh. 10. 8. & in paucissimis membris tum delitescibat vera Ecclesia Christi, qui vero publice sibi Ecclesiae titulum vindicabant, erant illi ipsi, qui contra Ecclesiam pessima quaeq; machinabantur, Ubi si à splendore externo, pietatis, autoritatis, eruditionis & successionis opinione, & numerosa multitudine Ecclesia judicanda fuisset, nã Christus cum suis non fuisset Ecclesia, sed Pharisei, Pontifices & Scribae, cum sequacibus suis, vides, ait Salmeron, quam parvo numero tunc existeret Ecclesia, quae tamen mox in omnes mundi partes & gentes erat propaganda, veritas enim Ecclesiae Dei in multitudine non consistit, ut primitiua docet, nec rursus*

in paucitate, in qua Donatistæ gloriabantur contra-
eam, quæ Augustini tempore totum mundum imple-
bat, nec in opibus, aut pompa, aut potentia mundi, sed
in verbo Dei & veritate doctrinæ à Christo, acceptæ, &
legitimis ejus sibi invicem succedentibus ministris, si-
ve tales multi sint, sive pauci, sive opulenti, sive pau-
peres. *Panormitan.* Fides remansit tantum in B. vir-
gine, quia omnes alij scandalisati sunt, *Idem cum Panor-*
mit. asserunt Alens. & Turrecremata, quos licet improbes
Bellarm. quod multi retinuerint veram fidem, certum ta-
men, quod illi multi, quorquor fuerint, non fecerint Ecclesiam
visibilem externo splendore illustrem.

XXXVIII.

14. *Ubi vero erat Ecclesiæ externo splendore corusca tem-*
pare decem persecutionum, quas sub Imp. perpassa est? cum
pleriq; patres sancti cum tale viderent
Exitium fugeite urbes, & more ferarum
Per deserta vagi cæcis latuere cavernis?
Cum pastores trucidati, oves dispersæ, confessores aut interfe-
cti, aut in exilium pulsi sunt? Ubi fuit Ecclesiæ valde conspi-
cua, cum totus orbis ingemisceret, & Arianum sese mi-
raretur, cum Ariani longe lateq; occupatis sedibus, ipsos fa-
vente Imperatore, orthodoxos passim sedibus removerent, pro-
scriberent, & solus Liberius Episcopus Romanus, quæ verba
erant Constantij Imperatoris Ariani, cum homine scele-
sto (ita D. Athanasium vocabat) orbis terrarum & mun-
di partem dissolveret.

XXXIX.

15. *Hic vero amplius esse demonstrandi locus, Quomodo*
Ecclesiæ visibilis, successu temporis, in N. T. quoad publicum
verbi incorrupti ministerium defecerit, & labentibus annis
sensim

sensum prima Ecclesie puritas, jactis sparsisq. Anci Christi
minis, perierit, caperineq. paulatim cuncta in pejus ruerit &
recto sublata referri, donec tandem in utero Ecclesie foveri,
nutriri, post eam in publicum atq. educari cepit. Homo ille
peccati, ille filius perditionis, ille adversarius & elatus
super omne quod dicitur Deus, aut numen, quiq. con-
fedit tandem in templo Dei, tanquam Deus, ostendens
seipsum quod sit Deus, 2. Thess. 2. 3. 4. Non enim re-
pente fiunt homines turpissimi, ita & pedecentim lues illa ope-
rari, primum tentari, post concipi & delineari, & tandem
perfici capit. Sed hæc demonstrare hodie hæc charta non capit.

XL.

Tandem Quarto subnectenda sunt aliquot Consta-
taria: 1. Importune & inepte quaeritur à Jesuitis: Ubi
fuerit vera Ecclesia (quam nos esse dicimus) ante Lu-
theri tempora? Quasi vero necesse sit Ecclesiam in illustri
loco semper constitui, digitoq. demonstrari & dici: Hæc est.
E scripturis persuasimus, nostram Ecclesiam esse veram, cu-
jus doctrina & professio scripturis est superadificata: Ergo
vi promissionum fuit perpetua, in ipso quoq. Papatu divini-
tus conservata, etsi propter tyrannidem Anci Christi fuerit ab
oculis mundi & persecutorum occulta, nec semper æque di-
stincte & perfecte visibilis. Ab ignorantia rei, ad negationem
rei procedere, est admodum inconsequens.

XLI.

Conf. II. Ecclesie nota non est Catholicum, h. e. ut Po-
rissij explicant, numerosa multitudo per terrarum or-
bem extensum, & in illustri loco valde conspicuum ef-
se, Catholicam Ecclesiam dici fatemur, sed non tam ratione
Universalitatis externa, que ex circumstantiis loci, temporis
status, splendoris &c. exterioribus peccitur, quam ratione
veritate

*Verſalitat̄is interna, qua fidem Catholicam & totius Eccleſiæ
in ea conſenſum & profeſſionem reſpicit.*

XLII.

*Conf. III. Eccleſiæ nota non eſt viſibilis purè do-
centium Episcoporum ſucceſſio ſemper conſpicua &
certæ ſedi alligata: Eſt enim ſucceſſio vera doctrina non
deficiat, ſucceſſio tamen verè & purè in loco conſpicuo & certa
ſede docentium deficere poteſt: Pontifice Romano accidit, quod
Vibio Ruffo, qui in ſella Julij Cæſaris ſedens gloriatus
fuit, ſe propter illam ſellam eſſe Cæſarem, aut quod Ju-
liano Imp̄. qui Alexandri M. animam ſucceſſione
quadam in ſe immiſſiſſe fingebat: Ita Romani Veſoves,
propter cathedram Petri (quam Roma fuiſſe certo præſuppo-
nunt) ſeſe Petros eſſe, animam Petri infallibilem ſeſe poſſide-
re, & quodam quaſi jure Chriſti vicarios eſſe, neſcio qua phre-
neſi infecti, ſibi ſuaviter imaginantur.*

XLIII.

*Conf. IV. Eccleſia viſibilis, quoad exteriorem ſplen-
dorem in membris publice & valde conſpicuis poteſt
deficere & errare, Quia, uti dictum, ita poteſt deficere, ut
non ſuperſit cæcus valde conſpicuus, in quo verbum Dei pure &
publice doceatur, cujus defectus cauſa inter alias eſt error in
fide, qui niſi eſſet non deficeret: Attamen viſibilis Eccleſia to-
taliter ſumpta, quoad ſplendorem internum & membra Deo co-
gnita nunquam in totum, & quoad fidei fundamentum deficere
poteſt, idq̄ unice ex vi & veritate promiſſionum divina-
rum, quibus Eccleſiæ totaliter ſumptæ abſolute (eſt ſingulorū
membris cum conditione) conſervationem perpetuam promiſit.*

XLIV.

*Pro Coronide duos appendo Sylogiſmos; Prior eſt no-
ſter: Gregor. M. Rom. Episcopus, qui ſedit circa annum
Chriſti*

*Christi 600. Ego, ait, confidenter dico, quia quisquis se
 Universalem Sacerdotem vocat, vel vocari desiderat
 in elatione sua AntiChristum præcurrit, quia super-
 biendo se cæteris præponit: Ejusdem Gregor. judicio, ti-
 tulus ille Episcopi Oecumenici, est nomen novum ex nova
 præsumptione & superbia, antea incognitum, atq; adeo
 non à Christo institutum. Est vanum, profanum, per-
 versum, stultum, sceleratum, ne quidem in Ecclesiam inve-
 hendum aut in vœctum recipiendum, aut receptum tolerandum.
 Et contra statuta Evangelica & Canonum decreta à ne-
 mine usurpandum. Atqui Bonifacius III. qui Gregorio
 intermedio solum Sabiniano, successit, patria Romanus,
 à Phoca magna tamen contentione obtinuit, ut se-
 des B. Petri caput omnium Ecclesiarum haberetur
 ab omnibus, & causam obtinuit, ut non tantum pri-
 mæ sedis Episcopus, sed etiam omnium caput, ut
 Sabell. sive ut ei omnes orbis Ecclesiæ obedirent, ut
 Nauclerus loquitur, sive ut ingenuè fateatur Baron. ut ille,
 solus, non Constantinopolitanus, Universalis diceretur.
 E. judicio Gregorij magni, qui Papistis est infallibilis judex,
 Bonifacius III. ejusq; successores Antichristum præcurrunt,
 Vanum, profanum, perversum, stultum, sceleratum nomen ge-
 runt, quod est contra statuta Evangelica & Canonum decreta,
 indeq; in Ecclesia non tolerandum. Posterior est Becani,
 quem ipse ponit quidem quasi Donatistarum fuisse, sed ex suo
 cerebro: Ecclesia cubat in meridie, sed Africa est in me-
 ridie. Ergo Ecclesia cubat in Africa, Extra Africam er-
 go non est: Hic vero tot vitia quot verba, quæ tamen
 Becan. non advertit, forte quod Aquila non ca-
 pient muscas. Sisto.*

DEO SIT GLORIA.

Dal.



Dn. RESPONDENTI,


Discipulo olim charissimo.

Dum spretis nihili rebus, in ardua
Cælestis Sophia castra, Deo auspice,
Jam tendis penitus, falsaq; dogmata
Doctrinæ nitidâ luce refellere
Conaris, monumentum ære perennius,
Quod non imber edax, non fuga temporum,
Annorum aut series innumerabilis
Deturbare queunt, fortiter extruis.

Doctis maecte tuis ausibus, ô mei
Cordis dimidium, fac, sophiæ irruat.
In te totus amor, qui tua identidem
Noctes atq; dies corda peritiâ
Doctrinæ omnigenæ firmiter imbuat,
Ut, dum mundus erit, te colat inclyta
Semper GLORIA, quæ nescia demori,
VIRTUTIS soboles, atq; LABORIS est.


M. Johannes Crudopius,
VVismariæ ad D. Nicol. Ecclesiast.

ne 20



Christi 600. Ego, ait, confidenter dico, q
Universalem Sacerdotem vocat, vel vo
in elatione sua AntiChristum præcurri
biendo se cæteris præponit: *Ejusdem Gre
gulus ille Episcopi Oecumenici, est nomen no
præsumptione & superbia, antea incognit
non à Christo institutum? Est vanum, p
versum, stultum, sceleratum, ne quidem in
bendum aut inrectum recipiendum, aut recepi*
Et contra statuta Evangelica & Canonum
mine usurpandum: *Atqui Bonifacius III
intermedio solum Sabiniano, successit, par
à Phoca magna tamen contentione ob
des B. Petri caput omnium Ecclesiaru
ab omnibus, & causam obtinuit, ut no
mæ sedis Episcopus, sed etiam omniu
Sabell, sive ut ei omnes orbis Ecclesiæ
Nauclerus loquitur, sive ut ingenue fatetur
solus, non Constantinopolitanus, Univers
E. iudicio Gregorij magni, qui Papistis est in
Bonifacius III. ejusq; successores Antichristu
vanum, profanum, perversum, stultum, sceler
runt, quod est contra statuta Evangelica & C
indeq; in Ecclesia non tolerandum. Posteri
quem ipse ponit quidem quasi Donatistarum fu
cerebro: Ecclesia cubat in meridie, sed Af
ridie. Ergo Ecclesia cubat in Africa, Extr
go non est: *Hic vero eos vitia quot verba
Becan non advertit, forte quod Aquil
ptent muscas. Sisto.**

DEO SIT GLOR



the scale towards document